



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

LXXXII. Quod in oratione dominica sancti pro se dicant: Dimitte nobis
debita nostra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

ANNO
CHRISTI
424.

decipimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed cum ait: *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est:* satis ostendit, eum qui dixerit se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

Cod. Can.
cap. 114.

1. Ioh. 1.

LXXXII.

Item placuit, vt quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio: sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnumquemque sanctorum, *Dimitte mihi debita mea*, sed: *Dimitte nobis debita nostra:* vt hoc pro aliis potius quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat apostolus Iacobus cum dicebat: *In multis offendimus omnes.* Nam quare additum est, *omnes*, nisi vt ista sententia conueniret & psalmo, vbi legitur: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens?* Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo, qui non peccet:* Et in libro sancti Iob:

Cod. Can.
cap. 115.
Et in Concilio
Mileuitano II.
cap. 7.
Matth. 6.

Iacob. 3.

Psal. 142.

Ecc. 7.

Concil. Tom. 4.

Bbbb

Iob 37.

In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel sanctus & iustus,

Dan. 9.

cum in oratione pluraliter diceret: *Peccauimus, iniquitatem fecimus,* & cetera, quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur (quemadmodum quidam sentiunt) hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo:* noluit dicere peccata nostra, sed *populi sui* dixit, & *sua*: quoniam futuros istos, qui tam male intelligerent, tamquam propheta præuidit.

Ibidem.

LXXXIII.

Cod. Can.
cap. 116.
Et in Mile-
uitano II.
cap. 8.
Matth. 6.

Item placuit, ut quicumque ipsa verba dominicæ orationis ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra:* ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis dicit sibi dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, se debita non habere?

LXXXIV.

Cod. Can.
cap. 117.

Item placuit, quoniam quidem ante aliquot annos in ecclesia plenario Concilio constitutum est, ut quæcumque ecclesiæ in diocesi constitutæ, ante leges de Donatistis latas, catholicæ factæ sunt, ad eas cathedras pertineant, per quarum episcopos factum est, ut catholicæ vnitati communicarent: post leges autem, quæcumque communicauerint, illuc pertineant, quo pertinebant, cum essent in parte Donati. Sed quia multæ controuersæ postea inter episcopos de diocesisibus ortæ